

Satis ex his opinari fas erit, Unwanum magno apud Regem ac Reginam loco fuisse; quippe, qui non Herivordensibus modò, ut supra relatum, sed & Herifiensibus per Reginam Machtildem tam insignem beneficentiam obtinuit. Nec dubium paria pro sua Ecclesia impetrasse, quæ temporum injuria interciderunt. Ceterum id Herifiense diploma tantum à Virginibus æstimatum, ut postea Othilia Furstenbergica ejus loci Abbatissa Rudolpho Imperatori confirmandum obtulerit impetrâritque.

A quo etiam Herivordensibus confirmatur facultas eligendi Abbatissam.

A reditu belli Danici Henricus Rex ad preces Machtildis Reginae Herivordensium Virginum collegio liberam facultatem eligendi Abbatissam, quam jam ante ab alijs quoque Germaniæ Regibus obtinuerat, hisce tabulis ratam confirmatamque sanxit.

*In nomine sanctæ & individua Trinitatis Henricus divina favente Clementia Rex. Si loca ad Dei servitium mancipata in aliquibus fulcimus beneficiis, hoc profecto ad augmentum aeterna speramus esse retributionis & remunerationis. Idcirco noverint omnes fideles nostri praesentes scilicet & futuri, qualiter nos interventu Machtildæ dilectæ conjugis nostræ sanctimonialibus feminis in loco Herivurt nominato Deo famulantibus concessimus, ut in eligendis abbatissis propria electione fruantur. Proinde hoc nostræ auctoritatis praeceptum eis inde conscribi jussimus; per quod precipimus, quatenus ita, ut praediximus, permaneat. Et ut hoc verius credatur, manu nostra illud firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Data IV id. Oct. anno dominica incarnationis DCCCCXXXV, Indiæ. VIII anno Regni Henrici Regis XVI actum in Alsteti. amen.*

Nulla in his tabulis, ut in prioribus, Unwani mentio; nec inde in ullis monumentis antiquitatum hæctenus reperimus. Quare cum hoc anno Episcopatum ejus vitamque finimus; eò certiores, quòd auctor vitæ Meinwerci ac ceteri xix annos in Episcopatu egisse scribant, quos & nos ab exordio ejus, & ordine suo exhibuimus, producendò Episcopatum ejus in xx annum, qui Christi est 935. Quapropter falluntur Gobelinus, Bruschius, Cleinsorgius, Kerfenbrochius, alijque, qui anno Christi 930 obiisse tradunt, non satis observantes initia Episcopatus ejus & exitum, cum hoc anno, de quo agimus 935, diploma Herifiense supra allatum adhuc vixisse testetur. Dies mortis ex necrologio Herifiensi certior, in quò XIII Calend. Augusti ex hac vita emigrasse consignatur. Scio equidem nec res ab Unwano gestas, neq; elogia virtutum à priscis scriptoribus ad nos pervenisse; sed jactura ferè eorum temporum omnibus communis, seu scriptorum incuria, seu temporum injurijs. Interim Unwanum præstantem fuisse Episcopum satis testantur, quæ ex synodis & diplomatibus, & Henrici Regis Reginaeque Malthildus benevolentia adduximus; tum vel maxime Ungarorum irruptio in Diœcesin, quæ viri religiosissimi patientiam & sollicitudinem pro grege suo multum probavit. Aurea tum adhuc religionis sæcula, cum cleri populique disciplina tam frequentibus severisque synodorum decretis contineretur, ut malis remissisque esse non licuerit.

ANNA-